

TRACTATUS NONUS

DE

VARIETATE RELIGIONUM

TAM IN GENERE QUAM IN SPECIE,

COMPLECTENS LIBROS DUOS.

INDEX CAPITUM LIBRI PRIMI

DE VARIETATE RELIGIONUM IN GENERE.

- CAP. I. *An potuerit vel debuerit esse in Ecclesia religionum varietas.*
- CAP. II. *De divisione vitæ religiosæ in solitariam et cenobiticam, et utra sit perfectior.*
- CAP. III. *An militaris religio sub genere status religiosi proprie comprehendi possit.*
- CAP. IV. *An militares religiones, quæ de facto dantur, comprehendantur proprie sub genere status religiosi.*
- CAP. V. *De divisione religionis in activam et contemplativam.*
- CAP. VI. *Quæ religio sit perfectior, activane, an contemplativa, an mixta.*
- CAP. VII. *De divisione religionis in clericalem et monachalem simpliciter.*
- CAP. VIII. *An recte dividatur religio monachalis simpliciter, seu prout contradistinguitur a clericali, in monachalem presse, et in mendicantem.*
- CAP. IX. *Quot sint ordines clericorum regularium.*
- CAP. X. *An religiones monialium a virorum religionibus, atque etiam inter se distinguantur.*
- CAP. XI. *De receptione ac novitiatu monialium, earumque professione cum ceremonia veli.*
- CAP. XII. *De observantia monialium, tam quoad substantialia vota, quam quoad subjectionem erga Prælatos ac regulam.*

LIBER PRIMUS

DE

VARIETATE RELIGIONUM IN GENERE.

*Ordo et partitio hujus tractatus.* — Postquam ea omnia explicuimus, quæ de statu religioso absolute spectato consideranda occurrunt, quoniam propositum nostrum est, ea omnia in religione Societatis specialiter contemplari, et pro viribus explicare, ut completa doctrina sit, necesse est de distinctione et varietate religionum aliqua præmittere. Possunt autem religiones distingui vel per quædam generalia capita, seu conditiones et fines earum, ut religio contemplativa, vel activa, etc., vel per species proprias earum, ut Prædicatorum, Minorum, etc.; hoc ergo libro priorem divisionem, in sequenti vero posteriorem explicabimus.

UTRUM POTUERIT VEL DEBUERIT ESSE IN ECCLESIA RELIGIONUM VARIETAS.

1. *Impugnatio hæreticorum pro parte negatica.* — *Impugnatio altera ab incommotis.* — Hæretici, qui summo odio hunc statum prosequuntur, multitudinem ac varietatem religionum maxime damnant, ac perinde putant esse dicere, hos religiosos esse sancti Dominici, illos sancti Francisci, ac dicere: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo*, quod reprehendit Paulus, 1 Corinth. 4 et 3; quia hoc est schismata et divisiones in Ecclesiam introducere, unde videntur contendere, salva unitate fidei et charitatis, non posse hanc multiplicationem admitti. Nam, sicut fides et charitas una est, et ideo esse potest una religio Christiana, ita etiam perfectio charitatis una est; ergo non possunt in ordine ad illam religionem multiplicari, maxime quia nos docemus viam consiliorum esse viam ad hanc perfectionem, et consilia eadem sunt respectu omnium; ergo et religio debet esse eadem. Tan-

dem concluditur, saltem non expedire hanc varietatem propter divisionem et incommoda quæ ex ea nascuntur. Quod videtur experimento posse probari; nam occasione hujus diversitatis multæ contentiones inter varias religiones ortæ sunt, dum aliæ alias præcedere contendunt, vel honore et loco, vel fama, et existimatione apud homines, vel litteris, et aliis hujusmodi bonis. Ex quo etiam fit ut sæpe proximorum fructus propter religiosorum contentionem inter se impediatur; quæ omnia cessarent, si omnes idem corpus religionis conficerent. His accedit Divi Basilii auctoritas; ille enim similem fere questionem pertractat in Regulis fus. disp., quæst. 35, ubi quærit an expediat in eodem pago plures esse religiosorum conventus; respondet non expedire, tum quia difficile est unum invenire condignum Prælatum, nedum plures; tum quia inter eos qui sunt ejusdem artis, facile oriuntur contentiones et æmulationes, quod (inquit) idem fere in hac vita solet accidere: *Initio enim contentiones a rebus honestis auspicientes, cum inter se certant alii alios studeant superare, dum progressus majores faciunt, postremo in simultates contentiosas delabuntur.* Loquitur autem Basilius de monasteriis ejusdem rationis et religionis; multo autem gravius sequuntur illa incommoda in diversitate religionum. Accedit tandem quod, si semel hæc varietas admittatur, in infinitum crescere et multiplicari potest, ut etiam experientia nos docet, quia homines semper amant nova, et inventiones proprias; at hæc nimia multitudo non potest non parere confusionem, ut dicitur in c. ult., de Regular., et cap. unic., eodem tit., in 6; ergo, etc.

2. *Puncta tria tractanda proponuntur.* — Nihilominus veritas catholica est, varietatem religionum, ad decorem et utilitatem Ecclesiæ majusque Dei obsequium pertinere. Hæc veri-



tas de fide certa est, ad quam confirmandam sufficiunt nobis Sanctorum exempla, qui varias religiones instituerunt, et communis Ecclesiae consensus, Pontificumque auctoritas, quæ illas approbarunt, et optima verba Gregorii XIII, in quadam Constitutione *Ascendente Domino*, in Societatis confirmationem, ubi sic inquit: *Cum divina providentia, pro temporum necessitate, varia et salutaria ordinum instituta in Ecclesia sua produxerit, novisque in ea subinde nascentibus morbis nova remedia, novisque emergentibus hostium impugnationibus, nova regularium ordinum auxilia excitarit, et cuique illorum, iuxta cujuslibet peculiaris gratiæ vocationem, peculiare quædam notas, peculiaris insignia, et opportuna ad finem, quem intendunt, media suggererit, etc.* Constat ergo varietatem religionum divina providentia introductam esse, esseque Ecclesiae opportunam et auxiliarem. Ut autem hanc veritatem magis explicemus et confirmemus, tria puncta declaranda sunt: primum, qualis distinctio et varietas inter religiones intelligi possit; secundum, quæ sit sufficiens ratio ejus; tertium, si quæ incommoda ex illa nasci possint, quomodo caveantur; per quod allatis in num. 4 impugnationibus satisfiet.

*Qualis distinctio et varietas inter religiones intelligi possit.*

3. *Hæc varietas aut ex fine peculiari, aut ex mediis petenda.* — Circa primum statuendum imprimis est, omnes religiones necessario convenire in substantiali ritu status religiosi, qui consistit in duobus, scilicet, in intendenda perfectione charitatis erga Deum, et consequenter etiam circa proximum, et in renunciatione seculi per tria vota substantialia, et traditionem illam talibus votis firmatam, per quam homo se totum consecrat divino obsequio. Hæc duo satis constant ex omnibus hactenus dictis de statu religionis; cum hæc enim sint substantialia illi statui, non possunt non convenire omni veræ religioni, sive illa sit substantia generica, sive specifica, de quo statim. Hinc D. Thomas 2. 2, quæst. 188, articulo 1, concludit duobus tantum modis posse distinctionem inter religiones inveniri, scilicet, vel in fine proprio, vel in exercitiis et mediis quibus ad eundem finem tendit. Cum enim religio sit status tendens in finem perfectionis, necesse est ut per certa ac determinata media tendat: ergo non potest

alia distinctio inter religiones cogitari, nisi ex fine proprio, vel mediis.

4. *Objectio contra varietatem ex fine.* — *Quid quando duæ religiones habent eundem finem proximum.* — Dices: imo non videntur religiones distingui in finibus, sed solum in mediis; omnia enim, quæ intendunt vel operantur, sunt media in finem charitatis perfectæ; ergo solum possunt distingui in mediis quibus utuntur ad hunc finem charitatis perfectæ. Respondeo, verum quidem esse, omnes fines particulares religionum singularum esse media, si cum generali perfectione charitatis comparentur; sunt tamen nihilominus fines proprii, quia sunt bona per se honesta, quæ propter se proxime expetuntur, et propter ipsa reliqua omnia exercitia talium religionum instituta sunt, vel assumuntur. Dici etiam possunt illi fines, quia sunt quasi formales quædam actiones ipsius charitatis, quæ, ut in se tales sunt, intenduntur ut fines; ut vero per eas comparatur perfectio charitatis absolute et secundum se spectata, media dici possunt. Itaque si charitas secundum se consideretur, plura habet officia, in quibus exercetur, et eisdem proxime augetur; sunt autem illa adeo diversa, ut non possint omnia et singula per se primo ab omni religione intendi, quia quædam in contemplatione Dei, aliæ in operatione circa proximum versantur, et inter actiones erga proximum magna est varietas, quæ non potest sub eodem vitæ instituto principaliter intendi, ut redemptio captivorum, infirmorum curatio, etc. Hinc ergo factum est, ut quædam religio dicatur instituta ad hunc finem proprium, id est, ad hoc officium charitatis, alia ad alium, et hæc ratione distinguuntur aliquæ religiones ex finibus, ut religio contemplativa ab activa, et sic de aliis. Ad hunc autem finem proprium consequendum, et religiose exercendum, utitur unaquæque religio propriis modis et observantiis, ut orationibus, jejuniis, operibus manuum, et similibus, et hæc vocantur propria media, quia immediate referuntur ad illum proprium finem, et illo mediante ad generalem finem perfectionis charitatis. Contingit autem aliquando duas religiones ad eundem proximum scopum esse institutas, ut ad militiam, verbigratia, uti tamen diversis observantiis, ad illum finem religiose exercendum, et tunc dicuntur religiones distingui in mediis, et non in fine; sicut motus interdum distinguuntur, quia ad diversos terminos tendunt, aliquando vero quia ad eundem tendunt diversa figura

vel per diversa spatia; quæ posterior distinctio solet a Philosophis revocari ad distinctionem terminorum formalium, cum prior distinctio sit per terminos reales et formales; sique in proprio dici possunt religiones omnes distingui ex fine, quia, licet aliquæ in proximo fine realiter convenire videantur, tamen, quatenus illum intendunt per diversa media, et exercitia, etiam in ipso formaliter distingui videntur, quia sub alia ratione, aut modo, aut perfectione illum intendunt. Modus autem loquendi D. Thomæ sicut magis realis est, ita etiam est magis perspicuus et clarus.

5. *Distinctio religionum ex finibus majoribus.* — Ex quo recte idem infert, magis distingui religiones, quæ ex fine, quam quæ ex solis mediis, sive exercitiis in ordine ad eundem finem distinguuntur. Quod est per se satis clarum; tum quia distinctio in rebus moralibus maxime est ex finibus; religio autem moralis res est; tum etiam quia religiones, quæ in finibus distinguuntur, regulariter etiam in mediis et exercitiis diversitatem habent, quia ad fines diversos regulariter media diversa requiruntur, etiamsi in aliquibus eorum possit esse convenientia; tum denique quia, quo major est convenientia inter aliqua duo, eo illa minus distinguuntur; religiones autem, quæ in fine conveniunt, magnam inter se habent convenientiam, quam aliæ non habent; ergo. Quapropter adeo verum hoc est, ut religiones, quæ in fine distinguuntur, possint quodammodo dici specie diversæ, aliæ vero tantum accidentaliter. Patet proportionali ratione, nam finis est, qui in moralibus dat speciem; ergo religiones, quæ distinguuntur in fine, dici possunt specie diversæ. Item artes, quæ tendunt ad diversos fines, specie distinguuntur; sed religiones sunt veluti quædam spirituales disciplinae seu artes; ergo. Hæc autem distinctio in finibus tanto erit major, quanto inter ipsos fines secundum se spectatos major fuerit. Aliquando enim fines ipsi erunt quasi substantialiter diversi, ut hospitalitas, et prædicatio verbi Dei; aliquando vero solum secundum magis et minus, ut contemplatio perpetua, seu diuturna, vel solum definitis horis; item prædicatio Evangelii inter fideles, vel in universo orbe et inter infideles, et sic de aliis. Clarum est ergo majorem esse diversitatem religionum, quando fines sunt substantialiter diversi, tuncque magis dici posse religiones ipsas substantia diversas; quamvis in hoc oportet magnam vim in verbis constituere, quia hic revera non potest esse

diversitas in substantia physica, ut sic dicam, quia traditio et tria substantialia vota, quæ in omnibus religionibus fiunt, ejusdem speciei et essentialis sunt; igitur religionum diversitas non potest esse in substantia status. Moraliter autem dici possunt quodammodo substantialiter differre, quæ in primario fine differunt, comparatione earum, quæ in ordine ad eundem finem solum in mediis seu exercitiis distinguuntur.

6. *Ex mediis quoque ad tales fines varii gradus distinctionis inveniuntur.* — Rursusque inter has tanto erit major diversitas, quanto media et exercitia fuerint magis diversa; aliquando enim tam parva est differentia, ut solum in habitu, et insigniis, et paucis ceremoniis distinguantur, ut religio S. Benedicti, et S. Bernardi inter monachales; et inter militares, Alcantaræ, aut Calatravæ, et similes, quæ videntur solum numero distingui, quamvis in ea latitudine magis distinguantur quam duo monasteria ejusdem habitus, sicut in naturalibus homo albus et niger solum numero differunt, quamvis magis in ea latitudine quam duo homines albi distingui videantur. At vero mendicantes religiones, ut Minorum et Prædicatorum, non videntur distingui in fine, sed in modo et mediis, et est differentia longe major, ita ut ad specificam differentiam magis accedere videatur.

7. *Distinctio ex finium simul ac mediis diversitate, maxima.* — *Distinctio ex diversis Prælatiis.* — Maxime vero distinguuntur religiones, si in utroque, fine scilicet et exercitiis, distinctionem habeant. Et præsertim si in votis ipsis et in observantiis eorum diversitatem habuerint, quia cum in votis consistat substantia religionis, diversitas in illis maxime ad substantiales accedit. Sicut dicimus, Beatos distingui in essentiali beatitudinis, quia in re illa, in qua est substantia beatitudinis, habent aliquam varietatem, licet in rigore diversitas illa specifica aut essentialis non sit. Tandem aliquando intra eandem religionem videtur esse tanta varietas, ut plures religiones esse appareant, ut inter Minores, quod maxime verum est quando sub diversis Prælatiis generalibus versantur, quia tunc sunt veluti diversi exercitus, habentes diversos duces, et insignia distincta, et interdum etiam arma diversa, quamvis in fine et aliis multum conveniant. His ergo modis potest distinctio et varietas in religionibus reperiri.

8. *Unitas religionis e contrario ad unitatem finis petenda.* — Ex quibus intelligere licet, ad